

Nam interficere corpora cupiebant, cum ipsi in anima morerentur. « In muscipula ista, quam occultaverunt, » comprehensus est pes eorum¹. » Muscipula occulta, est dolosa cogitatio. Pes animæ recte intelligitur amor; qui cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel charitas. Amore enim movetur tanquam ad locum, quo tendit. Locus autem animæ non in spatio aliquo est, quod forma occupat corporis, sed in delectatione, quo se pervenisse per amorem lætatur. Delectatio autem perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa charitatem. Unde et radix dicta est cupiditas². Radix dicta est et charitas, ubi de seminibus Dominus loquitur, quæ in petrosis locis exurente sole arescunt, quia non habent altam radicem³. Unde significat eos, qui gaudent excipiendo verbum veritatis, sed cedunt persecutionibus, quibus sola charitate resistitur. Et Apostolus dicit: « Ut » in charitate radicati et fundati possitis comprehendere⁴. » Pes ergo peccatorum, id est, amor, comprehenditur in muscipula quam occultant: quia cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentiam cordis eorum⁵, jam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem et ad utilia conferre non audeant; quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes: cui dolori succumbentes, a perniciosis delectationibus nolunt abscedere. « In muscipula ergo quam occultaverunt, » id est, in fraudulentum consilio, « Comprehensus est pes eorum, » amor scilicet qui per fraudem pervenit ad vanam lætitiã, qua comparatur dolor.

XVI. « Cognoscitur Dominus judicia faciens⁶. » Hæc sunt judicia Dei. Non ab illa tranquillitate beatitudinis

¹ Psal. ix, 16. — ² 1 Tim. vi, 10. — ³ Matth. xiii, 5. — ⁴ Edhes. iii, 17. — ⁵ Rom. 1, 24. — ⁶ Psal. ix, 17.

suae, nec a secretis sapientiæ, quibus recipiuntur beatae animæ, profertur ferrum, aut ignis, aut bestia, aut aliquid tale quo crucientur peccatores: sed quomodo cruciantur, et quomodo facit Dominus iudicium? « In » operibus, inquit, manuum suarum comprehensus est » peccator. »

XVII. Hic interponitur: « Canticum diapsalmatis¹: » quasi occulta lætitiã, quantum existimare possumus, separationis quæ nunc fit, non locis, sed affectionibus animorum, inter peccatores et justos, sicut granorum a paleis adhuc in area. Et sequitur: « Convertantur peccatores in infernum²: » id est, dentur in manus suas, cum eis pareitur, et illaqueentur delectatione mortifera. « Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum³. » Quia cum non probaverunt Deum habere in notitiã, dedit illos Deus in reprobum sensum⁴.

XVIII. « Quia non in finem oblivio erit pauperis⁵: » qui videtur nunc in oblivione esse, cum peccatores felicitate hujus sæculi florere existimantur, et justis laborare: sed « Patientia, inquit, pauperum non periet in æternum⁶. » Quapropter nunc patientia opus est ad perfrendos malos, qui jam voluntatibus separati sunt, donec etiam ultimo iudicio separentur.

XIX. « Exurge, Domine, non prævaleat homo⁷. » Imploratur futurum iudicium: sed antequam veniat: « Judicentur, inquit, gentes in conspectu tuo, » hoc est, in occulto, quod dicitur coram Deo, paucis sanctis et justis intelligentibus. « Constitue, Domine, legislatorem super » eos⁸. » Videtur mihi Antichristum significare, de quo Apostolus dicit: « Cum revelabitur homo peccati⁹. Sciant » gentes quoniam homines sunt. » Ut qui nolunt liberari

¹ Grec. lxx, ὁδὴ διαψάλματος. — ² Psal. ix, 18. — ³ Ibid. — ⁴ Rom. 1, 28. — ⁵ Psal. ix, 19. — ⁶ Ibid. — ⁷ Ibid. 20. — ⁸ Ibid. 21. — ⁹ 2 Thess. ii, 3.

a Filio Dei, et pertinere ad filium hominis, et esse filii hominum, id est, novi homines, serviant homini, id est, veteri homini peccatori, « Quoniam homines sunt. »

ENARRATIO

IN ALTERUM PSALMUM IX.

Qui inscribitur X secundum Hebræos.

XX. ET quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere, et in omnes homines, et in sanctos Dei, ut nunc vere nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere; interposito Diapsalmate, subjicit tanquam vocem gementium, et quærentium, cur judicium differatur: « Ut quid, Domine, » inquit, recessisti longe¹? » Deinde qui sic quæsivit, tanquam repente intellexerit, aut quasi sciens interrogaverit ut doceret, subjicit dicens: « Despicias in opportunitatibus, in tribulationibus: » id est, opportune despicias, et facis tribulationes ad inflammandos animos desiderio adventus tui. His enim jucundior est fons ille vitæ, qui multum sitierint. Itaque insinuat consilium dilationis, dicens: « Dum superbit impius, incenditur pauper². » Mirum est et verum, quanto studio bonæ spei parvuli accendantur ad recte vivendum, comparatione peccantium. Quo mysterio agitur, ut etiam hæreses esse permittantur: non quia ipsi hæretici hoc volunt; sed quia hoc de peccatis eorum divina operatur providentia, quæ lucem et facit, et ordinat; tenebras autem tantum ordinat³, ut sit earum comparatione lux gratior, sicut hæreticorum comparatione jucundior est inventio veritatis. Ea quippe comparatione probati manifesti fiunt inter homines, qui Deo noti sunt.

XXI. « Comprehenduntur in cogitationibus suis, quibus

¹ Psal. ix, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Gen. 1, 3, 4.

» cogitant: » id est, malæ cogitationes eorum vincula illis fiunt. Sed quare fiunt vincula? « Quoniam laudatur » peccator, inquit, in desideriis animæ suæ¹. » Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. « Et qui iniqua gerit, benedicitur. » Hinc comprehenduntur in cogitationibus suis, quibus cogitant.

XXII. « Irritavit Dominum peccator. » Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator. Major hæc ira Domini est. Irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correptionis flagella non patiatur. « Irritavit Dominum » peccator: secundum multitudinem iræ suæ exquiret². » Multum irascitur, dum non exquirat, dum quasi obliviscitur et non attendit peccata, et per fraudes et scelera ad divitias honoresque pervenitur: quod maxime in illo Antichristo eventurum est, qui usque adeo beatus videbitur hominibus, ut etiam Deus putetur. Sed quanta ista ira sit Dei, docent sequentia.

XXIII. « Non est Deus in conspectu ejus; contaminantur » viæ ejus in omni tempore³. » Qui novit vel quid gaudeat, vel quid lætetur in anima, novit quantum malum sit luce deserere veritatis; cum magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, qua lux ista retrahitur. Quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus peccatorum suorum eo perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus, et contaminentur viæ ejus in omni tempore, id est, cogitationes et consilia ejus immunda sint? « Auferuntur judicia tua a facie ejus. » Animus enim male sibi conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quod non judicet Deus; et sic auferuntur judicia Dei a

¹ Psal. ix, 3. — ² Ibid. 4. — ³ Ibid. 5.

facie ejus; cum hæc ipsa sit magna damnatio. « Et omnium inimicorum suorum dominabitur¹. » Ita enim traditur, quod reges omnes superaturus sit, et solus regnum obtenturus: quando etiam secundum Apostolum, qui de illo prædicat: « In templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur et quod dicitur Deus². »

XXIV. Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui, et damnationi ultimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum et inane culmen dominationemque venturus est; propterea sequitur: « Dixit enim in corde suo: Non movebor de generatione in generationem sine malo³: » id est, fama mea et nomen meum de hac generatione in generationem posterorum non transiet, nisi artibus malis adipiscar tam excelsum principatum, de quo posteri tacere non possint. Animus enim perditus et expers bonarum artium atque a justitiæ lumine alienus, malis artibus sibi aditum molitur ad famam tam diuturnam, ut apud posteros etiam celebretur. Et qui non possunt bene innotescere, cupiunt vel male de se homines loqui, dummodo nomen latissime pervagetur. Quod hic arbitror dictum esse: « Non movebor de generatione in generationem sine malo. » Est et alius intellectus, si de generatione mortali ad æternitatis generationem se venire non posse vanus et erroris plenus animus arbitratur, nisi artibus malis: quod quidem etiam de Simone diffamatum est⁴, cum sceleratis artibus cælum se putasset adepturum, et de humana generatione in divinam generationem rebus magicis transiturum. Quid ergo mirum, si etiam ille homo peccati, qui totam nequitiam et impietatem, quam omnes pseudoprophetæ inchoaverunt, impleturus est, et tanta signa facturum, ut decipiat, si fieri potest, etiam electos, dicturus est in corde suo: « Non movebor de generatione in generationem sine malo? »

¹ Psal. ix, 5. — ² 2 Thess. ii, 4. — ³ Psal. ix, 6. — ⁴ Act. viii, 9.

XXV. « Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo¹. » Magnum enim maledictum est tam nefandis artibus cælum appetere, et ad capiendam æternam sedem talia merita comparare. Sed hac ejus maledictione os plenum est. Non enim habebit effectum ista cupiditas, sed intra os ejus tantum valebit ad eum perdendum, qui hæc sibi ausus est polliceri cum amaritudine et dolo, id est, ira et insidiis, quibus in suas partes conversurus est multitudinem. « Sub lingua ejus labor et dolor. » Nihil est laboriosius iniquitate et impietate: quem laborem sequitur dolor: quia non solum sine fructu, sed etiam ad perniciem laboratur. Qui labor et dolor ad illud refertur quod dixit in corde suo: « Non movebor de generatione in generationem sine malo. » Et propterea, « Sub lingua ejus: » non, in lingua; quoniam tacite ista cogitaturus est, hominibus autem alia locuturus, ut bonus et justus et Dei filius videatur.

XXVI. « Sedet in insidiis cum divitibus². » Quibus divitibus, nisi eis quos hujus sæculi muneribus cumulabit? Et ideo in insidiis cum his sedere dictus est, quoniam falsam felicitatem ipsorum ad decipiendos homines ostentabit. Qui prava voluntate dum talis esse cupiunt, et bona æterna non quærunt, in laqueos ejus incident. « In occultis ut interficiat innocentem³. In occultis » puto dictum esse, ubi non facile intelligitur quid appetendum, quidve fugiendum sit. Innocentem autem interficere, est ex innocente facere nocentem.

XXVII. « Oculi ejus in pauperem respiciunt⁴. » Justos enim maxime persecuturus est, de quibus dictum est: « Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum⁵. Insidiatur in occulto, velut leo in cubili suo. » Leonem in cubili dicit eum, in quo et vis et dolus opera-

¹ Psal. ix, 7. — ² Ibid. 8. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 9. — ⁵ Matth. v, 3.

bitur. Prima enim persecutio Ecclesiae violenta fuit, cum proscriptionibus, tormentis, caedibus, Christiani ad sacrificandum cogentur: altera persecutio fraudulenta est, quae nunc per cujusmodi haereticos et falsos fratres agitur: tertia superest per Antichristum ventura, qua nihil est periculosius; quoniam et violenta et fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum est, quod dictum est: « In cubili suo. » Et rursus ipsa repetita sunt converso ordine. « Insidiatur, inquit, » ut rapiat pauperem: » hoc ad dolum pertinet. Quod autem sequitur: « Rapere pauperem dum attrahit eum, violentiae deputatur. « Attrahit » enim significat, quibus potest cruciatibus affligendo ad se adducit.

XXVIII. Item duo quae sequuntur, ipsa sunt. « In muscipula sua humiliabit eum, » dolus est. Inclinabitur, » et cadet, dum dominabitur pauperum¹, » vis est. Muscipula enim bene significat insidias: dominatio vero terrorem apertissime insinuat. Et bene ait: « Humiliabit eum » in muscipula sua. » Cum enim signa illa facere coeperit, quanto mirabiliora videbuntur hominibus, tanto illi sancti, qui tunc erunt, contemnentur, et quasi pro nihilo habebuntur. Quos ille, cui per justitiam et innocentiam resistent, mirificis factis superare videbitur. Sed « Inclinabitur, et cadet, dum dominabitur pauperum, » id est, dum quaelibet supplicia irrogabit resistentibus sibi servis Dei.

XXIX. Unde autem inclinabitur, et cadet? « Dixit enim » in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, » ne videat usque in finem². » Haec est inclinatio et casus miserimus; dum animus humanus in suis iniquitatibus quasi prosperatur, et parci sibi putat; cum excæcetur, et servetur ad ultimam opportunamque vindictam, de qua

¹ Psal. ix, 10. — ² Ibid. 11.

nunc jam loquitur: « Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua¹: » id est, manifesta sit potentia tua. Superius autem dixerat: « Exurge, Domine, non praevaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo²: » id est, in occulto, ubi solus Deus videt. Hoc factum est, cum impii ad magnam quae videtur hominibus felicitatem pervenerunt: super quos constituitur legislator, qualem habere meruerunt, de quo dicitur: « Constitue, Domine, legislatorem super eos, sciant gentes, quoniam homines » sunt³. » Nunc autem post illam occultam poenam atque vindictam dicitur: « Exurge, Domine Deus, exaltetur » manus tua: » non utique in occulto, sed jam in manifestissima gloria. « Ne obliviscaris pauperum in finem: » id est, sicut impii putant, qui dicunt: « Oblitus est Deus, » avertit faciem suam ne videat usque in finem⁴. » Usque in finem autem negant Deum videre, qui dicunt eum res humanas et terrenas non curare. Quoniam terra quasi finis est rerum, quia ultimum elementum est, in quo homines ordinatissime laborant, sed laborum suorum ordinem videre non possunt, qui maxime pertinet ad occulta Filii. Laborans ergo Ecclesia illis temporibus, tanquam navis in magnis fluctibus et procellis, quasi dormientem excitat Dominum, ut imperet ventis, et tranquillitas redeat. Dicit ergo: « Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua, ne » obliviscaris pauperum in finem. »

XXX. Jam itaque manifestum iudicium intelligentes et exultantes dicunt: « Propter quid irritavit impius Deum⁵? » id est, quia profuit tanta mala facere? « Dixit enim in » corde suo: Non requiret. » Deinde sequitur: « Vides » quoniam tu laborem et iram consideras, ut tradas eos » in manus tuas⁶. » Sensus iste pronuntiationem quaerit,

¹ Psal. ix, 12. — ² Psal. prim. ix, 20. — ³ Ibid. 21. — ⁴ Psal. secund. ix, 11. — ⁵ Ibid. 13. — ⁶ Ibid. 14.

in qua si erratum fuerit, obscuratur. Sic enim dixit in corde suo impius : « Non requiret Deus, » quasi Deus laborem et iram consideret, ut tradat eos in manus suas, id est, quasi laborare et irasci timeat, et propterea illis parcat, ne onerosa illi sit pœna eorum, aut ne iracundiæ tempestate turbetur : quomodo plerumque homines faciunt, dissimulantes vindictam, ne laborent, aut irascantur.

XXXI. « Tibi derelictus est pauper¹. » Ideo enim pauper est, id est, omnia hujus mundi temporalia bona contempsit, ut tu sis tantum spes ejus. « Pupillo tu eris ad » jutor² : » id est, ei cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus est, et jam potest dicere : « Mundus » mihi crucifixus est, et ego mundo³. » Talibus enim pupillis pater fit Deus. Docet quippe Dominus pupillos fieri discipulos suos, quibus dicit : « Ne vobis dicatis patrem » in terris⁴. » Cujus rei exemplum præbuit prior ipse dicendo : « Quæ mihi mater, aut qui fratres⁵? » Unde volunt quidam perniciosissimi hæretici asserere, non eum habuisse matrem : nec vident esse consequens si hæc verba attendant, ut nec Discipuli ejus patres habuerint. Quia sicut ipse dixit : « Quæ mihi mater est : » sic illos docuit, cum ait : « Nolite vobis dicere patrem in terris. »

XXXII. « Contere brachium peccatoris et maligni⁶ : » illius scilicet de quo supra dicebatur : « Omnium inimicorum suorum dominabitur⁷. » Brachium ergo ejus, dixit potentiam ejus : cui contraria est Christi potentia, de qua dicitur : « Exurge, Domine Deus, exaltetur manus » tua⁸. Requiretur delictum ejus, nec invenietur. » Propter illud, id est, judicabitur de peccato suo, et ipse periet propter peccatum suum. Deinde quid mirum si sequitur :

¹ Psal. ix, 14. — ² Ibid. — ³ Gal. vi, 14. — ⁴ Matth. xxiii, 9. — ⁵ Id. xii, 48. — ⁶ Psal. ix, 15. — ⁷ Ibid. 5. — ⁸ Ibid. 12.

« Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi, » peribitis gentes de terra illius¹? » Gentes posuit, peccatores et impios.

XXXIII. « Desiderium pauperum exaudivit Dominus². » Desiderium illud quo æstuabant, cum in angustiis et tribulationibus hujus sæculi Domini diem concupiscerent : « Præparationem cordis eorum exaudivit auris tua. » Hæc est cordis præparatio, de qua in alio Psalmo canitur : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum³. » De qua dicit Apostolus : « Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus⁴. » Jamvero aurem Dei, non membrum corporeum, sed potentiam esse qua exaudit, regulariter debemus accipere : atque ita quibusque nominatis membris ejus, quæ in nobis visibilia et corporea sunt, potentias operationum oportet intelligi, ne sæpe ista repetantur. Non enim corporeum fas est putare, quod Dominus Deus non sonantem vocem, sed præparationem cordis exaudit.

XXXIV. « Judicare pupillo et humili⁵ : » id est, non ei qui conformatur huic sæculo, neque superbo. Aliud est enim judicare pupillum, aliud judicare pupillo. Judicat pupillum etiam qui condemnat : judicat autem pupillo qui pro illo profert sententiam. « Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram⁶. » Homines enim sunt, de quibus dictum est : « Pone, Domine, legislatorem super » eos, sciant gentes quoniam homines sunt⁷. » Sed etiam ille, qui eodem loco intelligitur poni super eos, homo erit, de quo nunc dicitur : « Ut non apponat ultra magnificare » se homo super terram. » Cum venerit scilicet Filius hominis judicare pupillo, qui se exiit veterem hominem ; atque hoc modo tanquam extulit Patrem.

¹ Psal. ix, 16. — ² Ibid. 17. — ³ Id. lvii, 8. — ⁴ Rom. viii, 25. — ⁵ Psal. ix, 18. — ⁶ Ibid. — ⁷ Psal. prim. ix, 21.

XXXV. Post occulta ergo Filii, de quibus in hoc Psalmo multa dicta sunt, erunt manifesta Filii, de quibus pauca in fine ejusdem Psalmi nunc dicta sunt. Ex his autem titulus factus est, quæ majorem hic partem tenent. Potest et ipse dies adventus Domini recte numerari inter occulta Filii, quamvis ipsa Domini præsentia manifesta futura sit. De illo enim die dictum est, quod nemo eum sciret, neque Angeli, nec Virtutes, neque Filius hominis¹. Quid ergo tam occultum, quam id quod etiam ipsi judici occultum esse dictum est, non ad cognoscendum, sed ad prodendum? De occultis autem Filii, etiamsi quisquam non Dei Filium subaudire voluerit, sed ipsius David, cujus nomini totum Psalterium tribuitur; nam Davidici utique Psalmi appellantur; voces illas audiat, quibus Domino dicitur: « Miserere nostri, fili David²: » atque ita etiam hoc modo eundem Dominum Christum intelligat, de cujus occultis ipse Psalmus inscriptus est. Sic etiam ab Angelo dicitur: « Dabit illi Deus sedem David patris sui³. » Nec illa sententia huic intellectui contraria est, qua idem Dominus quærit a Judæis: « Si filius David Christus est, quomodo » in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis⁴? » Dictum est enim imperitis, qui quamvis venturum Christum sperarent, secundum hominem tamen eum expectarent, non secundum quod Virtus et Sapientia Dei est. Docet ergo ibi fidem verissimam et sincerissimam, ut et Dominus sit regis David, secundum quod est Verbum in principio, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia⁵: et filius, secundum quod factus est ei ex semine David secundum carnem⁶. Non enim dicit: « Non est filius David Christus; sed, si

¹ Matth. xxiv, 36. — ² Id. xx, 30. — ³ Luc. i, 32. — ⁴ Matth. xxii, 44, et Psal. cix, 1. — ⁵ Joan. i, 1. — ⁶ Rom. i, 3.

jam tenetis quod filius sit ejus, discite quomodo sit Dominus ejus: nec teneatis in Christo quod filius hominis est, ita enim filius David est; et relinquantis, quod Filius Dei est, ita enim Dominus ejus est.

ENARRATIO

IN PSALMUM X.

In finem, Psalmus ipsi David¹.

I. Nova tractatione titulus iste non indiget²: jam enim satis tractatum est, quid sit, « In finem. » Ipsum ergo Psalmi textum videamus, qui mihi videtur adversus hæreticos canendus, qui commemorando et exaggerando multorum in Ecclesia peccata, quasi apud ipsos justis aut omnes aut plures sint, ab unius Ecclesiæ veræ matris uberibus nos avertere atque abripere moliantur: affirmantes quod apud ipsos sit Christus, et quasi pie studioseque admonentes, ut ad eos transeundo transmigramus ad Christum, quem se habuere mentiuntur. Notum est autem Christum in prophetia, cum multis nominibus allegorice insinuetur, etiam montem appellatum. Respondendum est itaque istis, et dicendum: « In Domino confido; quomodo » dicitis animæ meæ: Transmigra in montes, sicut passer³? » Unum montem teneo in quo confido, quomodo dicitis ut ad vos transeam, tanquam multi sint Christi? Aut si vos montes esse dicitis per superbiam, oportet quidem esse passerem pennatum virtutibus et præceptis Dei: sed ea ipsa prohibent volare in istos montes, et in superbis

¹ Psal. x, 1. — ² Vide D. Guillon, tom. xxi, p. 407-408. — ³ Psal. x, 2.